

tum, oportet dari finem ultimum, qui sit bonum optimum. Posterior namque finis semper est melior & præstantior priori.

IX. Neque fieri unquam potest, ut ubi illa subordinatio datur, atque unum alio melius, nobilius & præstantius, ibi certo quodam termino & fine, maximè principali, & architectonico, ultra quem progredi non liceat, gradatio illa aliquando non claudatur, qui finis etiam erit illius facultatis seu disciplinæ, quæ reliquarum omnium quas suo complexu & ambitu continet, domina est, & architectonica, cujus cæteræ inferiores sunt & famulæ.

X. Hæc verò est politica, quæ rationem habet, tum practicæ, tum Theoreticæ felicitatis.

XI. Porrò ob varias S. B. conditiones distinctasque relationes, variis designatum fuit, (præsertim à græcis) nominibus. 1. enim nominatur *εὐδαιμονία* felicitas, non tantum quia prudentia ducens ad summum bonum est unicuique bonus Dæmon, sed quia conditio illa eminent, per quam ad divina elevatur mens humana, dicitur propter perfectionem *εὐδαιμονίας* ex sententia Platonis, quoniam viri felices optimo Dæmone regi & duci æstimantur.

XII. 2. dicitur *εὐπραξία* bona actio, propterea quod in actione bona collocetur summum B. 3. *εὐζωία* quasi vitæ rectitudo, & vita benè acta. Actio enim proba est vita hominis optima. 4. insignitur quoque titulo *τῶ μακαρισμῶ, ἀπὸ τῶ μάλισα χαίρειν*, hoc est, à maximè gaudendo, ut 7. Eth. N. c. II. asseruit Aristoteles, propterea, quod gaudium sive læticia ejus sit affectio, & quidem inseparabilis, neque enim gaudium seu voluptas ab actione ipsius Beatitudinis separari potest.

XIII. 5. Vocatur etiam *εὐτυχία* fortunæ prosperitas, vel quia nonnulli in abundantia bonorum fortunæ S. B.